

89. Præter hanc Congregationem et alia in subsidium ejusdem Congregatio instituta fuit per Const. *Debitum pastoralis* diei 4. Augusti 1698 ab Innocentio XII. super disciplina et reformatione Regularium. Hæc autem Congregatio licet antiquitus habuisset peculiarem Præfectum, tamen hodie subest Cardinali Præfecto Congregationis Episcoporum et Regularium. Insuper aliquibus abhinc annis proprio Secretario caret, cujus vices sustinet Secretarius Congregationis Episc. et Regul. Habet autem Officialem qui Substitutus appellatur. Officium hujus Sacræ Congregationis præsertim versatur in designandis intra Italiam et insulas adjacentes monasteriis seu conventibus virorum pro novitiis et professoriis, nec non in concedendis licentiis pro admissione novitiorum ad habitum religiosum suscipiendum et ad professionem emittendam. Insuper Congregatio hujusmodi curat in monasteriis virorum internam disciplinam præsertim in ordine ad observantiam perfectæ vitæ communis, et dispensare potest ab observantia regularum intra tamen monasterium seu conventum, idest dispensatio respicere tantum potest interiorem disciplinam domus religiosæ. Hæc omnia exhibentur in literis Apostolicis Pii VI. relatis in Biblioth. *Lucii Ferraris* Edit. Cassinensis an. 1852. verb. *Congregationes n. 46.*

Tandem Pius IX. ut exigentiis Regularium ex nostri ævi conditione exurgentibus consulere, per Encyclicas Lit. *Ubi primum* diei 17. Junii an. 1847 particularem Congregationem instituit, cujus titulus est 'Congregatio super statu Regularium'. Hæc S. Congregatio munus habuit regulas statuendi pro novitiis recipiendis, et in disciplina regulari instituendis, pro admittendis iisdem novitiis prius ad professionem votorum simplicium et deinde ad nuncupanda vota solemnia, pro vita communi inter regulares instauranda, proque aliis rebus decernendis, quæ ad statum regularem actualibus circumstantiis rite conformandum aptæ judicantur. Acta hujus S. Congregationis typis vulgata sunt an. 1862 ab ejus Secretario *Andrea Bizzarri* qui postea S. R. E. Cardinalis creatus est.

De S. Congregatione Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum.

90. Summus Pontifex Pius IV. in *Constit. Benedictus Deus* edita VI. kalendas Februarii ann. 1564 confirmavit Concilii Tridentini acta simulque prohibuit absolute quominus super decretis ejusdem Concilii commentarii, glossæ, adnotationes, et in genere

interpretationes vulgarentur. Idem Pontifex eodem anno novam edidit *Const. Alias nonnullas* qua Cardinalium Congregationem instituit, cujus officium erat procurandi decretorum tridentinorum observantiam. Sixtus V. vero in sæpe cit. *Const. Immensa* confirmavit Congregationem a Pio IV. institutam, simulque ei officium commisit interpretandi decreta Concilii Tridentini disciplinam respicientia. Ex hoc factum est ut Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum appellaretur.

91. Congregatio hæc ex pluribus Cardinalibus a Rom. Pontifice nominatis constat quorum unus est Præfectus, et Secretarium habet inter Prælatos electum. Ex data notione sequitur, facultatem interpretandi decreta disciplinaria Concilii Tridentini ad hanc Sacram Congregationem exclusive spectare, licet quoad observantiam procurandam eorundem decretorum facultas ejus cum aliis Congregationibus cumulativa sit, præsertim quoad materiam, quæ aliarum Congregationum scopum attingit. Ob dependentiam quam plura negotia habent a Conc. Tridentino, ea penes hujusmodi Congregationem geruntur. Quare Congregatio hæc agit de residentia Episcoporum et aliorum beneficiatorum, concedit ex justa causa licentiam absentia, indulgendo absentibus perceptionem fructuum præbendæ, et quandoque etiam distributiones. Pariter eadem Congregatio concedit facultatem reducendi onera antiqua Missarum ob redituum imminutionem.

Præterea in hac Congregatione tractantur causæ matrimoniales præsertim quoad vinculi valorem, et quoad dispensationem a vinculo matrimonii rati et non consummati. Unde inter ejus officiales etiam Defensor seu Advocatus vinculi adnumeratur, qui ex officio rationes, si quæ sunt, afferre debet ad matrimonii jura tuenda. Item videt et definit quæstiones respicientes irregularitatem clericorum, et Summo Pontifici proponit dispensationem concedendi consilium, quoties rationes pro ea concedenda militant. Sic pariter cognoscit quæstiones excardinationis clericorum a propria et incarcerationis ad aliam Diœcesim. Insuper, licet quæstiones respicientes valorem professionis religiosæ ad Sacram Congregationem Episcoporum et Regularium ordinarie pertineant, tamen S. Congregatio Concilii cognoscere potest de causa restitutionis in integrum contra lapsum quinquennii a Tridentino statuti ad reclamandum contra professionem religiosam invalide emissam.

Etiam in materia beneficiali competens est S. Congregatio Concilii et præsertim in illis negotiis vel quæstionibus, quæ relationem dicunt ad Tridentina decreta. Quare videt quæstiones circa unionem beneficiorum Seminario vel Cathedrali faciendam, item quæstiones circa valorem nominationis inter plures præsentatos, nec non circa ipsum jus patronatus inter plures patronos contententes.

92. Recipit pariter relationes Episcoporum super statu Dioceseos occasione visitationis Sacrorum Liminum, nec non respondet dubiis et consultationibus ab Episcopis propositis in eadem occasione. Pro expendendis vero præfatis relationibus Episcoporum Benedictus XIV. instituit specialem Congregationem Prælatorum Romanæ Curia dependentem a Sacra Congregatione Concilii *Constit. Decet Romanum Pontificem* edita nono kalendas Decembris ann. 1749.

93. Præterea eidem Sacra Congregationi Concilii unita est specialis et subsidiaria Congregatio nonnullorum Cardinalium instituta pro revisione facienda Conciliorum Provincialium, quæ ex lege lata a Sixto V., uti infra videbimus, subjici debent examini Sacra Congregationis Concilii. Utriusque Congregationis Cardinalis Præfectus idem est, nec non idem est Secretarius. Habet autem suos peculiare consultores ex clero sæculari et regulari electos.

De Sacra Congregatione de Propaganda Fide.

94. Romani Pontifices cum propria Curia, adhibita quoque opera Episcoporum usque ab antiquitate adlaborarunt ut non solum catholica fides suscepta inter populos integra servaretur, sed etiam ut inter infideles et hæreticos ope prædicatorum propagaretur. At usque ad totum sæculum XVI. peculiare tribunal collegiale Cardinalium ad hoc promovendum fidei propagandæ opus institutum non erat. Gregorius XV. vero per suam Const. *Inscrutabili divinæ providentiæ arcano* editam decimo kal. Julii an. 1622 Congregationem Cardinalium instituit christiano nomini propagando addictam quæ proinde Congregatio *de propaganda fide* nuncupatur. Ea componitur ex Cardinalibus numero pluribus, quorum unus præfecturam gerit, et habet Secretarium unum ex Prælatiis et consultores ex utroque clero electos.

95. Ut autem operi propagationis fidei melius consuleretur, missiones præconum Evangelii pro variis territoriis ad instar Dioc-

cesum institutæ fuerunt. Missionibus vero magis evolvendis ac roborandis Urbanus VIII. Constitutione sua 675. quæ incipit *Romanus Pontifex* Romæ collegium erexit in quo adolescentes in locis missionum electi catholicis doctrinis imbuerentur, et idonei fierent ad conversionem infidelium et hæreticorum facilius procurandam. Collegium hujusmodi quod in dies auctum est a Pontifice auctore suo nuncupatum fuit *Collegium Urbanum*.

96. Præcipuum Congregationis istius munus est ut operarios evangelicos mittat, quos missionarios vocant, ad fidem catholicam propagandam eosque per regiones distribuat. Porro ut forma regiminis ecclesiastici aliquo modo observaretur, inductum est, ut singulis missionibus territorium proprium adsignaretur, quod nomine Vicariatus Apostolici appellari solet, cui unus præficitur missionarius titulo et auctoritate Vicarii Apostolici, quique solet caractere episcopali decorari. Vicariatus hujusmodi a Sacra Congregatione de Propaganda fide dependent.

97. Præterea eidem Congregationi commissa est cura etiam nonnullarum regionum, in quibus hierarchia ecclesiastica Episcoporum restituta est. Unde ex. gr. Ecclesiæ Angliæ, Hiberniæ, Statuum fœderatorum America etc. licet fundatæ ibidem sint sedes episcopales fixæ cum suis titulis et propriis Episcopis tamen adhuc sub jurisdictione Sacra hujus Congregationis perseverant. Regula autem est ut quoties hierarchia ecclesiastica in aliqua regione constituitur, ipsæ literæ Apostolicæ quæ sedes episcopales erigunt discernant simul utrum nec ne novæ sedes a jurisdictione Sacra Congregationis de Propaganda fide eximantur. Quare Sacra hæc Congregatio non solum mittit Evangelii præcones in regiones in quibus evangelica lux vel nunquam vel vix illuxit, sed etiam suam exercet vigilantiam et auctoritatem in pluribus locis in quibus christianæ plebes constitutæ sunt et exhibent formam regiminis Ecclesiastici communis.

98. Porro S. Congregatio de Propaganda fide in locis sibi subjectis amplissimam auctoritatem exercet, et æquiparari potest auctoritati, qua reliquæ Congregationes Romanæ in aliis regionibus utuntur. Immo majori etiam pollet auctoritate. Etenim hæc S. Congregatio tractat etiam negotium deputationis Vicariorum Apostolicorum in locis Missionum nec non electionis Episcoporum in Diocesisibus jam constitutis et a se dependentibus.

Unde Summus Pontifex per organum hujus Congregationis pro locis eidem Congregationi subjectis vicariatibus et sedibus episcopalibus vacantibus de novis pastoribus providet.

Potestas huic Congregationi competens generali locutione in Const. *Inscrutabili divinae providentiae* Gregorii XV. hisce verbis exhibetur: 'Volentes ut (Cardinales) . . . omnia et singula negotia ad fidem in universo mundo propagandam pertinentia cognoscant et tractent, et graviora . . . quæ tractaverint ad Nos referant; alia vero per seipsos decident et expediant pro eorum prudentia. Missionibus omnibus ad prædicandum et docendum Evangelium, et catholicam doctrinam superintendant, ministros necessarios constituent et mutant. Nos enim eis tam præmissa, quam omnia et singula alia desuper necessaria et opportuna, etiam si talia fuerint, quæ specialem, specificam et expressam requirunt mentionem, faciendi, gerendi, tractandi, agendi et exequendi plenam, liberam et amplam facultatem, auctoritatem et potestatem apostolica auctoritate tenore præsentium concedimus et imperitur.'

99. Quapropter quoad loca sibi subjecta S. Congregatio de Propaganda fide omnia negotia pertractat. Quod si agatur de negotio quod materiam fidei directe respiciat illud ad S. Officium S. Congregatio remittere solet. Si vero negotium conscientiae forum directe attingat, a S. Pœnitentiaria opportunum remedium vel solutionem quæstionis exposcit.

100. Porro S. hæc Congregatio ex instituto negotia peragit et expedit œconomice et extrajudicialiter. Quoniam vero ob humanam infirmitatem inter Missionarios et præsertim inter diversorum Ordinum regularium missiones quæstiones oriuntur; hinc S. Congregatio etiam contentiosa negotia peragere et decidere cogitur. Hæc vero necessitas tractandi forenses quæstiones major facta est ex quo, restituta hierarchia ecclesiastica in aliquibus regionibus, in regimine Diœcesum juris communis normæ præ oculis habendæ sunt. Hasce autem quæstiones in contentione partium, servata forma iudicii summarii Congregatio resolvit. Et quidem usque ad nostra tempora in causis judicialibus peragendis partes poterant advocatorum opera uti, et scriptas ab illis allegationes Cardinalibus offerre. At hodie ob nonnullos abusos, ut arbitror, enatos præsertim ex eo quod negotia magni momenti et sub prudentiæ secreto custodienda facile vulgabantur; statutum est, advocatos in

causis defendendis non amplius admitti. Hoc autem non impedit quominus partes colligantes suam defensionem in scriptis exarent, et in allegatione conscribenda consilio alicujus juris periti ducantur, dummodo tamen defensio in scriptis elucubrata ab eo cujus interest nomine proprio præsentetur.

101. Cum vero ætate nostra opus missionum latius evolve-retur, et negotia a S. Congregatione de Propaganda fide tractanda nimium excreverint, Pius IX. consilium suscepit secernendi prorsus negotia Ecclesiarum et missionum ritus latini a negotiis Ecclesiæ ritus orientalis. Quare die 6. Januarii anni 1862 edidit Constitutionem quæ incipit *Romani Pontifices* qua novam Congregationem specialem Cardinalium instituit pro expediendis negotiis Ecclesiarum et Missionum rituum orientalium. Hæc tamen Congregatio licet distincta sit ab alia Congregatione pro negotiis ritus latini, et suum Secretarium suosque Consultores et Officiales habeat, tamen unum eundemque habet cum alia Cardinalem Præfectum. Quin imo ut uniformitati actionis, et concordie evolutioni operis propagationis fidei consuleretur, factum est, ut officia utriusque Congregationis in iisdem ædibus sedem haberent, et in particulibus conventibus uniuscujusque Congregationis pro minoribus negotiis expediendis coram Cardinali Præfecto utriusque Congregationis Secretarii convenirent, propriumque consilium panderent.

De Sacra Rituum Congregatione.

102. Concilium Tridentinum *sess. 25. in fine* Summo Pontifici ecclesiasticarum cæremoniarum et sacrorum rituum reformationem commendavit. Huic Tridentinorum patrum voto inhærens Sixtus V. in sæpe cit. *Const. Immensa* specialem Congregationem Cardinalium instituit, quæ a Sacris Ritibus nuncupata est.

103. Componitur Congregatio ex Cardinalibus quos Summus Pontifex numero majores vel minores nominat. Unus ex eis in Præfectum ab eodem Pontifice eligitur. Habet hæc Congregatio Prælatum ad officium Secretarii exercendum, nec non alium Prælatum, qui promotoris fiscalis munere fungitur, et Promotor fidei nuncupatur. Huic dat operam alter ecclesiasticus vir, qui Assessor dicitur, vel Sub-fidei-Promotor. Præterea in hac Congregatione plures constituti sunt Consultores, inter quos ex officio adnumerantur, unde et officiales dicuntur, Sacrista Papæ ex Ordine Eremitarum S. Augustini, et Apostolici Palatii Magister ex Ordine Præ-

dicatorum nec non tres antiquiores S. Rotæ Auditores et unus ex Protonotariis Apostolicis participantibus.

104. Duplex munus huic S. Congregationi commissum est; unum videlicet in ordine ad Sacros Ritus, et ad jura adnexa, alterum vero tractandi causas Beatificationis et Canonizationis Servorum Dei. Intuitu primi muneris S. Congregatio duo genera negotiorum pertractat, alia quidem in via gratiosa et pacifica, alia vero in via contentiosa. In via gratiosa et pacifica advigilat ut veteres ritus sacri ubique locorum in omnibus Urbis et Orbis Ecclesiis etiam in Capella Pontificia in Missis, divinis officiis, Sacramentorum administratione cæterisque ad divinum cultum pertinentibus a quibusvis personis diligenter observentur; cæremoniæ, si exoleverint, restituantur, si depravatæ fuerint, reformentur; libri quoque de sacris ritibus et cæremoniis tractantes, si opus fuerit, emendantur, nec non ut dies festi rite celebrentur. Hæc omnia in *cit. Const. Immensa* descripta leguntur. Præterea quæstiones et dubia circa præfatam materiam et in specie circa sensum rubricarum vel ex officio, vel ad petitionem propositam resolvit. Harum resolutionum collectionem confecit et publicavit Aloisius Cardellini ejusdem S. Congregationis Assessor. Quod opus ampliatur nostræ ætate iterum prodiit studio et cura Editorum Cassinensium. Insuper S. Congregatio approbat officia et Missas proprias Sanctorum, nec non concedit facultatem celebrandi Missam vel officium sub simplici aut altiori ritu alicujus Sancti vel Beati, et transferendi ad alium diem solemnitatem festorum in locis particularibus etiam cum celebratione Missæ atque alia hujusmodi. Tandem ad hanc S. Congregationem munus pertinet expendendi et approbandi negotium electionis alicujus Sancti in cœlestem Protectorem Regnorum, Civitatum et oppidorum.

105. In via contentiosa S. Congregatio cognoscit et resolvit quæstiones inter partes contendentes in materia præcedentiæ et præ eminentiarum in processionibus, aliisque sacris functionibus, nec non in actibus seu tractatibus honorificis, sive quæstiones istæ oriantur inter regulares et sæculares, sive inter utriusque cleri capitula respective, sive tandem inter dignitates et membra ejusdem capituli. Sic etiam determinat limites jurium inter Parochos et Confraternitates laicorum necnon videt ac decernit quæstiones super novas erectiones Congregationum piarum et Confraternitatum. Porro S. Congregatio in hisce omnibus quæstionibus tractandis et decidendis

viam judicalem summariam sequitur, auditis autem informationibus Ordinariorum, vel respective Superiorum Regularium.

106. Alterum munus ad S. Rituum Congregationem exclusive spectans respicit Beatificationem et Canonizationem Servorum Dei. In hoc tanti momenti et difficili negotio S. Congregatio maxima cum cautela, et prævio rigido examine procedit. Et quidem ut notat Cardinalis De Luca (*Relatio Rom. Cur. P. 2. Disc. 17. n. 10.*) S. Congregatio in præsentia materia imaginem refert tribunalis contentiosi. Processum enim conficit, qui dicitur Apostolicus et testes examinat coram iudicibus delegatis, et notario, qui in actis suis omnia refert. Adsistit præterea Promotor Fidei, qui fiscali munere fungitur, et interrogatoria præparat nec non advigilat ut processus rite fiat et compleatur. Insuper adhibetur opera et consilium virorum peritorum, qui sub juramenti fide referre debent, utrum operationes, quæ miraculis accensendæ a Postulatore proponuntur, supernaturales revera sint, nec a potentia naturæ licet difficili et rara repeti possint. Præterea Postulator causæ, qui actoris personam gerit, emittere debet juramentum calumniæ juxta regulas a jure canonico traditas in *Tit. VII. libri II. Decretalium*. Tandem, aliis omissis, Promotor Fidei difficultates et argumenta contraria, si quæ sint sive in jure sive in facto, ex officio proponere debet. Quæ difficultates et argumenta nisi plene diluantur, cursus actorum suspenditur. Completo autem processu discutitur formiter causa super dubiis propositis prius a consultoribus coram Cardinali ponente, deinde ab iisdem Consultoribus in Congregatione Cardinalium, tertio tandem quæstio agitur ab eadem Congregatione Cardinalium coram ipso Summo Pontifice qui ultimum judicium postea edendum sibi reservat. Modus autem procedendi et normæ servandæ in hujusmodi tractandis et definiendis causis traduntur a Bened. XIV. in celebri opere *De Beatificatione Servorum Dei et de Beatorum Canonizatione*.

De Sacra Congregatione Consistoriali.

107. Sixtus V. in sua sæpe *cit. Const. Immensa æterni Dei* numero tertiam hanc S. Congregationem instituit. Constat ex competenti numero Cardinalium, qui copiosus esse non solet, et ipsum summum Pontificem Præfectum habere gloriatur. Ad Secretarii munus exercendum unus ex urbanis Prælati eligitur, qui etiam Sacri Collegii Cardinalium Secretarius esse solet. Hoc vero secun-

dum officium ex sui natura perpetuum in persona Secretarii Congregationis consistorialis non est. Nam quolibet anno indiget nova Cardinalium confirmatione. Porro Secretarius hic qui sede papali vacante in officio constitutus reperitur, assumitur ad munus exercendum Secretarii Sacri Collegii Cardinalium in conclavi collectorum pro electione novi Pontificis perficienda.

108. Sixtus V. in *cit. Const.* Consistorialis Congregationis negotiorum provinciam designat et eidem munus committit: 1^o. Cognoscendi de causis legitimis erectionis faciendæ novarum Ecclesiarum quarumcumque Patriarchalium, Metropolitanarum et Cathedralium, ac de earum dote, Capitulo, Clero et populo; 2^o. cognoscendi de causis unionis, dismembrationis, cessionis, permutationis, translationis et pensionum assignationis super redditibus Ecclesiarum, Diœcesum et Monasteriorum; 3^o. examinandi causas circa pluralitatem Monasteriorum, idest Abbatiarum, et incomptabilitatem dignitatum; 4^o. examinandi causas respicientes nominationes et confirmationem electionum vel postulationum; 5^o. tandem expendendi causas respicientes deputationes Suffraganeorum et Coadjutorum sive cum futura successione sive absque eadem successione.

109. Hæc quidem omnia in Sixtina Constitutione explicite designantur. At Cardinalis De Luca in *Relat. Cur. Disc. 5. n. 25.* de Congregatione Consistoriali hæc scribit: 'Quia in plerisque actibus consistorialibus interessati oppositores adesse solent, adeo ut formam vel disputationem contentiosam habere oporteat, eaque prudenter ob majorem Consistorii majestatem, ab eo exulavit; hinc proinde erecta fuit particularis Congregatio . . . Consistorialium negotiorum præparatoria, seu Consistorii consultrix, quæ proinde Consistorialis nuncupatur . . . Atque in ista Congregatione prius formiter examinantur materiæ, partibus opponentibus auditis in forma mere contentiosa, proportionata tamen stylo Congregationum Cardinalitiarum circa formalitatem telæ judiciariæ; præsertim vero ubi agatur de Ecclesiarum unionibus vel divisionibus seu dismembrationibus, novisque erectionibus.'

110. Verum non solum in negotiis contentiosis, quæ hodie rara admodum sunt, sed etiam in aliis negotiis, quæ extrajudicialiter, et in via summaria tractantur, Sacra hæc Congregatio præparat materiam pro actibus in Consistorio Papæ tractandis et expediendis. Hinc hodie in Congregatione Consistoriali præsertim expenduntur processus, qui pro Episcopis et Abbatibus in Consistorio promo-

vendis conficiuntur, et summa actorum processus refertur in scheda, quæ consistorialis appellatur et Cardinalibus ante ipsum Consistorium distribuitur.

111. Hæc insuper S. Congregatio appellatur etiam Sacri Collegii Cardinalium Congregatio et per ejus secretarium aliumque Officium sub dependentia tribus Cardinalibus Capitibus Ordinum idest antiquioribus in quolibet ordine et Cardinali Camerario pro tempore negotia temporalia ad ipsum Sacrum Collegium spectantia tractantur. Si vero de gravioribus negotiis agatur, quæ jura Sacri Collegii respiciunt, omnes Cardinales præsentés in Curia vocantur, et in generali eorumdem conventu quæstio expenditur et resolvitur.

De Sacra Congregatione Immunitatis ecclesiasticæ.

112. Hæc Sacra Congregatio instituta fuit ab Urbano VIII. nescitur vero utrum vivæ vocis oraculo vel decreto Consistoriali vel per literas in forma Brevis. (Card. De Luca *De Relat. Cur. pars 2^a. Disc. 17. n. 1.*) Huic Congregationi commissum est munus tractandi negotia et quæstiones decidendi circa immunitatem ecclesiasticam realem, personalem et localem, et præsertim quæstiones respicientes jus asyli ecclesiastici, et eos qui ob crimina excepta hoc jure non gaudent.

113. Hæc Congregatio anteactis temporibus multa et gravia negotia expediebat, et bis in mense in Palatio Apostolico adunabatur, teste Cardinali De Luca *loco cit. n. 6.* Hodie vero ob iniquas leges civiles contra immunitatem ecclesiasticam latas, et ob mores fere ubique in pejus mutatos, salutifera hujus Congregationis actio imminuta maxime est. Quare nuper factum est ut ejusdem Congregationis officia cum vacant, aliis non conferantur, et negotia si quæ sint a Sacra Congregatione Concilii pertractentur et expendantur.

De Sacra Congregatione Indulgentiarum et Sacrarum Reliquiarum.

114. Sacram hanc Congregationem instituit Summus Pontifex Clemens IX. edita die 6. Julii 1669 Constitutione quæ incipit *In ipsis Pontificatus Nostri.* Ea vero componitur ex pluribus Cardinalibus, quorum unus Præfecti munere fungitur habetque Secretarium inter Prælatos electum. Eidem præterea Congregationi suam præstant operam plures Consultores.

115. Hæc Congregatio instituta fuit ad abusus vitandos, qui in materia indulgentiarum et sacrarum reliquiarum obrepere possunt. Officium vero ejusdem in *cit. Const.* Clementis IX. fusius explicatur, et ad rem nostram sufficiat sequentia referre ex eadem Constitutione excepta. 'Nos autem', ait Pontifex, 'eundem inæstimabilem thesaurum (indulgentiarum) fidei dispensatione erogare, et omnia quæ sacras reliquias contingunt, recte atque ordine disponere cupientes, nonnullos ex Cardinalibus ac aliquos (romanæ) Curia Prælatos, aliosque viros religione, pietate, doctrina et rerum usu eximie præditos selegimus, quorum consilio, opera et industria tam gravem muneris nostri partem ad Omnipotentis Dei gloriam, Ecclesie honorem ac spiritualem Christi fidelium ædificationem facilius implere valeremus . . . Quapropter Motu proprio ac certa scientia etc. Congregationem S. R. E. Cardinalium ac Prælatorum et aliorum virorum prædictorum, a Nobis, ut præfertur electorum et deputatorum, ac in futurum tam a Nobis, quam a Successoribus Nostri Romanis Pontificibus eligendorum et deputandorum *cum facultate omnem difficultatem ac dubietatem in Sanctorum Reliquiis aut Indulgentiis emergentem quæ ad fidei dogma non pertineat, (Nobis tamen et Romano Pontifice pro tempore existente circa graviora distinctioraque consultis) expediendi; ac si qui abusus in eis irrepserint, illos iudicii forma plane postposita corrigendi et emendandi: causas vero iudiciale formam requirentes ad proprios Iudices remittendi; falsas, apocryphas, indiscretasque indulgentias typis imprimi vetandi, impressas recognoscendi et examinandi ac ubi Nobis seu Romano Pontifici pro tempore existenti retulerit, nostra seu illius auctoritate rejiciendi; reliquias de novo inventas, quas rec. mem. Innocentius Papa III. Prædecessor Noster in generali Concilio Lateranensi publica veneratione coli, nisi prius auctoritate Romani Pontificis approbatas prohibuit, recognoscendi quoque et examinandi: ac in concedendis indulgentiis, Sanctorumque Reliquiis donandis moderationem adhiberi, omniaque pie, sancte et incorrupte fieri curandi tenore præsentium perpetuo erigimus et instituimus.*

116. Et revera hæc S. Congregatio omnem dedit operam ut scopo suæ institutionis satisfaceret et non solum prævio accurato examine authenticitatem sacrarum Reliquiarum recognovit, sed etiam quæstiones et dubia circa indulgentias resolvit. Unde plura prodierunt decreta. Ut autem omnis circa sinceritatem et authen-

ticitatem horum decretorum difficultas removeretur operæ pretium visum est, ex tabulario ejusdem Congregationis omnia decreta extrahere, et in unum colligere librum. Quod reapse factum est, et auctorante Summo Pontifice Leone XIII. anno 1883 typis Frederici Pustet impressum est volumen cui titulus '*Decreta authentica Sacræ Congregationis Indulgentiis sacrisque Reliquiis præpositæ ab anno 1668 ad annum 1882 edita jussu et auctoritate SSmi. D. N. Leonis XIII.*'

117. Præterea eadem S. Congregatio concessionis indulgentiarum opus moderabatur, et practica quæ servabatur regula, ceu constat ex actis tabularii Congregationis, in eo posita erat, ut Secretarius in folio describeret summam supplicationum et rationes quæ pro obtinendis indulgentiis militabant, eamque in conventu Cardinalium proponeret, exquirendo ipsorum sententiam. Cardinalium vero consilium Summo Pontifici referebatur, qui indulgentias quas concedebat, per Secretariam Brevium jubebat expediri. Hæc erat praxis antiqua.

118. Tractu autem temporis inductum est ut Summus Pontifex indulgentias elargiretur tam per organum Sacræ Congregationis indulgentiarum, quam per Secretariam Brevium, et Secretariam a supplicationibus nuncupatam vulgo *dei Memoriali*. In facto hic usus hodie servatur, licet nonnullis abhinc annis sub s. mem. Pii IX. Pontificatu ad aliquod tempus concessio indulgentiarum veluti jure exclusivo fieret per organum Secretariæ Brevium.

De Congregatione Rec. Fabricæ S. Petri.

119. Ut novæ ædificationi et conservationi magnifici templi Deo in honorem Principis Apostolorum in urbe Roma erecti consuleretur Julius II. indulgentias aliaque bona spiritualia iis concessit, qui elemosynis huic pio operi occurrent. Leo X. vero ejusdem pii operis administratoribus facultatem tribuit exequendi pia legata et eorum partem Fabricæ S. Petri adsignandi. Deinde Clemens VII. collegium instituit sexaginta virorum qui administrationem Fabricæ ejusdem gererent. Ut autem tutiori modo et sub stabili nobiliorique forma negotiis Fabricæ S. Petri consultum esset, Clemens VIII. ad instar Congregationum a Sixto V. erectarum, etiam specialem Congregationem Fabricæ S. Petri instituit, quæ componeretur ex aliquibus S. R. E. Cardinalibus et coadjutores haberet Auditorem Camerae Apostolicæ, Thesaurarium generalem, Pontificiæ domus Præ-